42600

DISSERTATIO

MEDICA INAUGURALIS,

DE

MENSIBUS, PAUCISQUE MORBORUM AB EORUM VITIIS PENDENTIUM,

QUAM, ANNUENTE DEO OPTIMO MAXIMO,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

LUDOVICI - VINCENTII RAOUL,

Phil. Theoret. et Litt. Doct. et in facult. Litt. Prof. ord.

NEC NON

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA GANDAVENSI,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICE DEFENDET

Ludovicus de Foere,

TILETANUS.

Die 26 Februarii MDCCCXXV, hora XI[a].

GANDAVI, EX TYPOGRAPHIA ACADEMICA,

P. F. DE GOESIN-VERHAEGHE, via Hoogpoorte nº 37.

1825.

Ex decreto Facultatis, 2 Martii 1818, opiniones in Dissertationibus propositæ, illarum auctoribus propriæ sunt, et a Facultate Medica nec approbatæ nec improbatæ sunt habendæ.

PIIS OPTIMI PATRIS

MANIBUS SACRUM.

Propter solum uterum mulier est, id quod est.

VAN HELMONT.

L. S.

De morbis virginum multa jamdudum eximie scripta me forsan ab hoc proposito terrere debuissent; sed partes artis medicæ incultas explorare, ab opere hujusmodi, studii scilicet documento, foret omnino alienum; et, certe, quantumcunque tractata, res nulla attentione medicorum dignior. Etenim infestissimi inter morbos utrique sexui communes, dum mulieres tenent, plurimosque earum proprios, frequentissimum cum mensibus nexum agnoscunt. Dein sexus femineus, cui plurima vitæ solatia debemus, gratum animum ac opem sibi jure vindicat.

Cum de hujusce rei momento persuasum mihi erat, eam in argumentum dissertationis haud ægre selegi; non sane dilucidandæ rei causa, sed ut ipsemet, legi academicæ obtemperando, eam altiori animo infixerim. Præterea, cum mihi inprimis tractandam proposui amenorrhœam, hæc materies mihi eo magis arrisit, quod id mali, formidolosæ morborum cohortis dux, cum inoffensus progreditur, facili negotio plerumque, tum maxime cum recens accurrit, marte medico

vincatur. Enimvero scientia medica, dum qua de re dissererem, quanto magis magisque cogitabam, tanto mihi in universum est visa incertior. Nec temere; nam si mutabilitas, res obscura vel supposita, haud ambiguæ sint incertitudinis notæ, hanc labem medicinæ inustam, tot opiniones dissonæ, tot ædificia medica alternis vicibus destructa, tot tenebrosæ mobilisque cujusvis theoriæ phantasmata, totque fallacis experientiæ et abstractionum metaphysicarum ludibria, sat superque comprobant. Objicias doctrinam medicam non, ut antehac, in fabulari historia, sed in vera physiologia tandem aliquando exstructam, inter scientias veras jure quidem splendere. — Atqui subtilis, *ne quid pluris dicam, physiologia, et quidem* subtilis *anatome nos latent, diuque forsan latebunt; atqui utut physiologiam pathologiæ applicandam intelligas, ne ipse quidem ejusdem doctrinæ auctor, quam ut veritatem ipsam immobilem prædicat, certam et constantem rationem tenet, sed in eadem interdum re modo ad hoc modo ad illud aberrat. Quid? quod cl. Broussæus passim incertus, obscurus, ambiguus, etiamnum in scriptis suis recentioribus hæret? — Subjicias medicinam non amplius absurdæ et rationem contemnenti explicationi, sed præter levem empirismum omnino expurgatum, non nisi experientia et factis anatomico-physiologicis certissimis, quæ ratiocinium dilucide enodavit, columnæ immotæ similem, reponi, et cujusque temerarii cerebrum, scarabæi adinstar, eâ posthac excutiendum iri. — Esto; sed interea unus negat, alter ait, tertius medius ire censet, quartus demum nec ab antiquis nec a novis est, sed veritatem, ubicunque ea colitur, se amplecti profitetur. Præterea sua cuique est opinionum libido, suusque color, et videndi facta modus.*

DISSERTATIO

MEDICA INAUGURALIS,

De mensibus, paucisque morborum ab eorum vitiis pendentium.

Id sanguinis quod e vagina, singulis mensibus, effluit, *catamenia, muliebris fluxus, menstrua,* vel *menses* fuit nominatum, de quorum vitiis priusquam loquar, pauca præfari oportet. Unde oriuntur? Quibus usibus inserviunt? Hæ quæstiones diu a physiologis exagitatæ, sunt etiamnum perquam difficiles atque obscuræ; ne tamen manca videatur oratio, de utraque brevissime disseram.

Arteriæ multæ uteri substantiam penetrantes, singulis mensibus nimio plus sanguinis recipiunt; hunc in uterum cavum, per poros membranæ ejus mocosæ, effundant necesse. Sanguis ibi exceptus per vaginam effluit, et interdum, etsi raro, arteriæ extra uterum positæ sanguinem effundunt, ita ut etiam gravidis ipsis menses fluere non desinant.

Causas mensium diu indagatas, nunc primum recensebo, quarum ne quidem ulla, omni ex parte, rem explicabit.

Opinio antiquorum fuit lunam recursum muliebris fluxûs regere, eaque quibusdam philosophis nuperis ac celebribus haud visa absurda (1). Vis tamen lunæ in uterum nulla esse videtur; nam quaslibet phases induat,

(1) Morgagni, Fred. Hoffmann, Stahl, *de æstu maris microcosmici,* Mead, *de imperio lunæ ac solis.*

seu quæcunque lucis incrementa vel decrementa suscipere videatur, menses æque prorumpunt. Nil est cur miremur hanc opinionem tam longe lateque vagatam. Fictiones plerumque citius ac longius quam res veræ diffunduntur. Præterea, reditus menstruus, connexionem cum luna, singulis mensibus, mutante, indicare videbatur iis, qui, analogia parum perfecta contenti, causas fictas imaginationis, potius quam veras, judicii ope, scrutabantur. Causa hujusmodi semel memorata, vulgo, rerum mirandarum avido, admodum grata evadit.

Chemicum fermentum uterum stimulans ex toto, ab iis qui alcumisticas chimeras insectabantur, fuit fictum. Quale est? Quomodo et ubinam corporis oritur? His nunquam est responsum. Opinio quidem diu invaluit, sanguinem menstruum esse corruptum ac fœtidum (1), imo venenosum, et feminas inter ejus fluxum fuisse mirum in modum mutatas. Earum plurimæ mutationum adeo sunt insulsæ, ut risum jure moveant. Caro quam mulier tangebat cito fœtibat, quam sale fricabat, nunquam condiebatur; flores quibus inspirabat, arbusculi quos digito premebat, cito, quasi flamma fulminea icti, morituri, marcescebant. Plures harum ineptiarum referre piget, etsi plures in promptu sint.

Quin sanguis in utero cavo, vel in rugis vulvæ stagnans, præsertim in regionibus calidioribus, cito corrumpatur inficias non ibo; si tamen stagnatio non fit, sanguis, ni quatenus mucus uteri vel vaginæ ei admiscetur, aut ni morbus quidam, præcipue externus, tenet mulierem, a reliqua massa minime est diversus.

Omissis aliis opinionibus, ad plethoram seu generalem sive topicam, in mensibus explicandis summi medicorum decurrerunt. Totum genus

---

(1) Reipsa quidem odor teter ac nauseosus feminis nostratibus, dum menses fluunt, raro et non nisi fere rufis proprius; sed ut ait Gardien : *Dans l'état naturel on n'observe point, chez les femmes, cette atmosphère repoussante, si elles ne négligent pas les soins de propreté nécessaires dans cette circonstance.* Is autem odor multo magis aerem infestat in calidioribus Asiæ regionibus, ubi pestis aliæque epidemiæ tot turcarum immundorum millia quotannis consumunt. Non est igitur cur miremur, et multo minus, cur, medicos quosdam præpostere simulantes, ludibrio vertamus hebræorum quondam legislatorem prudentissimam adeo, præter alias immunditias, circa menses quoque ferentem legem, ut a plurimis morbis prædictarum regionum incolas servarit immunes.

humanum inter juventutem esse plethoricum, feminas tamen ad eam esse præcipue proclives, plerisque placuit. Fabrica solidorum laxior, victus lautus, vita desidiosa, perspiratio minor, et alia hujusmodi hic numerantur. In mensibus educendis hæc ipsa forsan quodammodo valere possunt; sed hæ causæ non omnes certæ, non semper præsentes, ubi adsunt et ubi plethora consequitur, ei plethoræ obviam eundo menses non impediuntur.

Aliis quibusdam theoriis, nec sine ingenio, nec sine facundia rejectis, Rousselius (1) fortuitis plane et extra corpus femineum positis causis plethoram generalem mensesque inde profluentes adscribens, non iisdem mulieres semper adstrictas fuisse contendit. Hanc theoriam nunc breviter considerabo. Ne rem parum apte repræsentem, ecce verba auctoris ipsius. *Ces repas, dont l'amitié et le besoin de se voir et d'être ensemble avaient d'abord donné l'idée, l'intempérance les fit ensuite réitérer pour satisfaire la sensualité. Les saveurs simples et naturelles des alimens qui suffisent à ceux qui n'ont que de l'appétit à contenter, ne convinrent pas toujours à des gens qui voulaient manger sans appétit. Il fallut nécessairement recourir aux perfides raffinemens de l'art pour reveiller un palais difficile et dédaigneux, et rendre agréable à la bouche ce que l'estomac eût refusé sans cet appât trompeur. Il se forma peu-à-peu une habitude générale qui porta les hommes à prendre beaucoup plus d'alimens qu'il ne leur en faut pour réparer les déperditions journalières du corps. Celui-ci dut se trouver gêné par une surabondance excessive de sucs nourriciers dont l'oisiveté et le défaut d'exercice durent augmenter encore les inconvéniens. La nature attentive à maintenir cette juste compensation de perte et de réparation qui entretient la vie, tâcha de se débarrasser d'un superflu dangereux par des évacuations convenables. Les effets de cette disposition furent communs aux deux sexes, les hommes comme les femmes se trouvèrent en général dans un état de pléthore habituelle qui nécessita, dans les uns et dans*

(1) *Systême physique et moral de la femme*, partie II., chap. II.

les autres, des écoulemens, à la vérité différens par leur forme, mais qui furent les mêmes par leur principe. Dans les hommes, la nature suppléa aux règles par des hémorrhagies qui se font par des organes différens selon les divers âges (1).

Hanc theoriam auctor sagax et acutus plurimis argumentis firmare conatur; singulis perpendendis tempus parum sufficit; perpauca igitur solummodo proferam, quæ, me judice, theoriam evertent.

Et quidem primum Hippocrates, atque omnes, jam inde antiquitus, medici, qui de mensibus eorumque vitiis verba moverunt, eosdem non solum primo, sed etiam reliquo proruptionis tempore spectavêre. Dein Sacræ quoque Paginæ feminas hebraicas mensibus olim non vacasse testantur; nam ne plurima mala, e sanguine menstruo, calore corrumpendo, oritura, contraxissent, hygienæ præceptis, quæ sub specie veneranda religionis abdiderat Moïses, in libro levitico cautum est. Sed quid e temporum tenebris argumentum eruam eorum quæ quotidie uberrime præ oculis habemus? Nonne cuique medico, qui vel primis labris praxin medicam gustavit, constat quam miseram trahat vitam vel frugalis quævis puella cui menses non prorumpunt? Quod si sanæ interdum sint feminæ nostrates quibus menses nunquam profluxerint, sterilitatem plane in causa esse compertum habemus; et in omnibus propemodum orbis terræ regionibus, fluxus muliebris vinculum arctissimum cum fecunditate semper, et cum recta valetudine plerumque, agnoscit. Atque adeo eum statui cuidam pathologico aliive casui æque incerta tribuere, mihi visa opinio omni veri specie destituta.

Eodem vitio laborat theoria doctoris Emett, angli, qui orgasmo venereo menses tribuit; hi etenim interdum sine appetitu venereo fluunt, et vice versa; quæ tamen secundum hanc opinionem fieri non debent. Ut hanc rem explicaret, supposuit auctor sanguinem in debilibus adeo evadere tenuem, ut absque orgasmo venereo aliquando, quod in phthisi, febreve diuturna laborantibus, videre est, sanguis extra vasa diffluere possit (2). Quid autem si non modo sana sed robusta sit, cui menses

---

(1) Stahl, *Dissert. de morbis ætatum.*

(2) Emett, *Essai de médecine sur le flux menstruel*, p. 71.

fluent, etsi desiderium Veneris nullum? Hoc interdum evenire sæpius commemoratur. Præterea salax puella orgasmo fere nunquam caret; cur non ei menses sæpius de die adsunt, aut certe multo sæpius ac castæ Venerisque parum capienti? Quoddam est igitur uteri proprium, ad quod in causa mensium consideranda animus est advertendus. Quale istud sit explicatu est difficile; sed plurima commonstrant, impetum sanguinis, pubertate appropinquante, majorem ac antea evadere. Partes externæ majores factæ non diutius nudæ manent; clitoris ac nymphæ tument et longiores evadunt, uterus ipse antea parvus, subito crescit, motusque insoliti persentiuntur. Huc usque forsan omnia concedentur; si tamen rogetur quæ causa sanguinis plus ad genitalia circa pubertatem quam antea pellit? nil habeo quod respondere possum. Num dicetur (dictum quidem fuit) id sanguinis quod antea alias corporis partes nutrivit, nunc iis satis auctis ad uterum tendere? sed puellæ ex quo menses primo proruperunt, citius ac antea sæpissime crescunt. Qui menses mechanice explicant, ii ad unum omnes laborant, quod quidem non mirandum. Plurima sunt nobis incognita, quorum causas frustra exploramus.

Hæc contra theorias quæ præeunt protulisse sat est. Novam proponere mihi non est in animo. Plethora plurima quidem mensium phænomena haud absurde explicantur, ea vero per se rem non dilucidat. Cæteris autem jamjam exploratis theoriis multo minus est indulgendum. Quod in hac re incerta verisimilius assequi licet, hoc est, quadam ætate uterus, seu vi peculiari a natura ei insita, seu quibusdam motibus in ovariis (1), seu alia causa, more insolito excitatur; plusque sanguinis ac olim recipit. Hinc menses fluere incipiunt, qui postea æquis intervallis recurrunt; sed qua lege vis illa prius in actum cieatur, quomodo primi illi motus excitentur, et quæ causa mensibus regularem adeo recursum imperet, nec a me, nec ab ullo, quantum conscius sum, explicari potuit. Et vero, quæcunque sagax mens humani intellectus altas caligines considerabit et tenebras quibus plerasque genitalium functionum obnubilavit natura, hujusmodi quæstiones imagina-

(1) Cabanis, *Rapport du physique et du moral de l'homme*, vol. I. p. 290.

tioni eorum, qui in condendis medicinæ systematibus principatum tenent, facile permittet, causas primas inter tot problemata, quæ in numero incognitorum habentur, derelinquens.

Non solum de mensium causa, sed de usu quoque, lis jamdudum exorta etiamnum extat. Si plethoræ soli obviam erat eundum, evacuationes aliunde æque profuissent. Sanguinem corruptum ac fœtidum effluere jamjam negatum. Plerique rem hoc modo explicant: cum feminæ ad puerperium destinentur, non solum sibimetipsis, sed fœtibus, nutrimentum est parandum. Ut hoc semper sit in promptu, habitum formandi plus sanguinis, quam quo opus sibi est, natura statuit. Sanguis supervacuus, nisi lacti efformando inservire debeat, ad uterum, ubi fœtus primum est nutriendus, rite vehitur. Etsi modus semper lateret, usus abunde constare affirmant.

Contra hanc opinionem, naturæ sic satis consonam, plura tamen repugnare videntur. Ad analogiam inprimis animus est advocandus. Si menses sint feminis necessarii, cur non aliis quoque animantibus? Hæc plures fœtus simul nutriunt, et citius ac feminæ pariunt, dum menses absunt. Unde igitur iis habitus formandi sanguinem supervacuum? Si sat sanguinis parari possit in cane, mensium experte, quid sit feminarum proprium unde menses necessarii evadant difficile est dictu. Quantum necessui erecto feminarum, quæ, dum cætera animalia prona, terram spectant, cœlum tuentur, jure sit tribuendum, ignoro. Memoriæ proditur, quædam simiarum genera, quæ erecta incedunt, mensibus, iis mulierum simillimis, esse obnoxia, sed rem parum certam in medio relinquam.

Marrher, cujus nomen apud physiologos celeberrimum, hanc rem hisce ideis animo effingit: » Requirebatur ut vasa uteri semper explicabilia forent, et facile sedentia humoribus, ut suo tempore, dum utero concepit mulier, parata foret oportunitas sanguini, quem tunc majore copia ex utero ad fœtum transmitti oportebat, et in ejus incrementum impendi; tum etiam ipse uterus haberet, unde graviditatis tempore incresceret, denique ut ovulum in superficie interna uteri firmiores et profundiores radices agere posset, dum per ipsum hunc fluxum menstruum

impeditur ne oscula vasorum exhalantium concrescant aut occallescant, sed efficitur, ut patula semper maneant, aptaque commercio cum ovi vasculis ineundo (1).

Quod in plerisque animalibus, veneris appetentibus, observatur, id quidem aliqua ex parte hanc opinionem, feminas mensibus ad conceptionem præparari annuentem, firmat, e vagina enim liquidum, sanguini nunc magis nunc minus simile, stillat, quod e vasis uteri fluere creditur. Menses muliebres per annum totum recurrere non miraberis, si consideres eas semper esse Veneri aptas, dum alia animalia, e quorum vagina nil nisi statutis periodis effluit, tunc temporis solum sunt fecunda. Attamen e quanam structura hoc discrimen pendeat, omnes sumus ignari.

Hic quoque operæ erit pretium meminisse, Venerem nunquam esse æque ac mox post menses fecundam. His autem fluentibus, non solum utero afferuntur mutationes, iis subsimiles quæ conceptionis tempore huic visceri obveniunt; verum etiam, ut asserunt Denman, Brandis et Joerg, interdum ex utero educuntur membranæ ei affines quæ ad faciem internam uteri post conceptionem gignitur.

Hæc hactenus à me dicta seu accurate disputata sint sive non, hoc ab omnibus concessum, menses esse sanitati plerumque necessarios. Ii igitur nulli vel abnormes, plurimis malis atque œrumnis puellas infelices obruunt. Ad vitia mensium, eorumque sequelas, nunc itaque accedam. Ea ad duas classes revoco: 1° ad menses impeditos; 2° ad immodicos.

Mensium impeditorum tres sunt species, scilicet retentio, suppressio, et fluxus difficilis. Prima est ubi post pubertatem menses non prodeunt, et ubi variæ affectiones morbidæ ægram lacessunt; altera ubi non debitis intervallis redeunt; et tertia ubi parcius plerumque et cum dolore fluunt.

Ætas qua menses fluere occipiunt variis in exemplis varia. In regionibus calidis, puella novem annos nata, in frigidis non ante viginti, eos effundit. Nostrates circiter annum quartum vel quintum decimum eos experiuntur, etsi multæ causæ hos menstruos annos interdum perturbant. Ei cui victus lautus, opiparus, cubiculum calidum, vita vel

(1) *Prælect. in Boerh.* § DCLXV.

ignaviæ vel lasciviæ dedita, menses haud dubie citius aderunt ac ancillæ in tugurio degenti, parum nutritæ, et quam strenuus labor exercet. Difficile est igitur definire tempus quo menses non fluentes pro morbo sint habendi; sed si urgent dolor circa lumbos et hypogastricam regionem, languor insolitus, varia affecti ventriculi phænomena, præpedita respiratio, uteri ipsius molimina, verbis vix depingenda, quæ puellas puberes fere semper, mensibus instantibus, lacessunt, si accedunt alia signa quæ mensibus præire solent, dum ii non prorumpunt, remoram esse morbidam suspicari licebit. Si omnia phænomena, quotquot sint, post primum incursum leniora facta, singulis mensibus, æquisque intervallis, recrudescunt, menses non fluentes pro morbo nemo non habebit.

Miram esse sanguinis proclivitatem genitalia versus plurima commonstrant. Partes antea parvæ evolvuntur, nec diutius nudæ manent, mammæ sororiantes in circulos nitidos consurgunt, purpureum lumen juventæ genas deserit, fulgorque oculos, quos subsidentes lividus circulus sæpe cingit; dolor dorsi ac lumborum dein succedit, frigus ac calor subinde; novi motus interni percipiuntur, quorum causam ignorans rudis adhuc puella suspiria ab imo pectore mittit. Modo morbus absit mucus vel serum primo, dein sanguis e vagina effluit, quem denuo miratur ac timet virgo obstupefacta. Hoc decedente, rubor in genas ardorque vegetus in oculos cito redit, virgoque matura viro infantis simplicitatem deponit, in cujus vicem illecebræ amoris, uti pectus anhelum vix visum, vultus facile rubens, acies oculi mollis sed penetrans succedunt.

Si tamen omnibus vel pluribus signorum jam memoratorum prægressis, menses non fluant, omnia plerumque in pejus ruunt. Vultus magis magisque pallescit, vel tetram flavedinem chloroseos præ se fert, ciborum appetentia depravatur, ita ut creta, cineres, aliaque hujusmodi concupiscantur, florique imbribus gravato, vel cui radix arefacta, simillima, virgo infelix languescit moriens. Si magis fiat irritabilis, hysteria dira fabricam horrendis convulsionibus ad syncopen usque quatit.

Immensum esset si omnes et singulas referre velim quæ dysmeniæ et amenorrhoeæ pedissequæ sunt affectiones; nam nullus propemodum

irritationis gradus, nulla neurosis, nulla asthenia, nulla possibilis organorum læsio, quæ inde nasci nequeat. Præterea menses difficiles dolorem insignem, lassitudinem, aliaque incommoda iis sæpe inferunt, quæ sunt alioquin sat sanæ.

Species amenorrhœæ dehinc non seorsim tractabo; nam, modo obstaculum mechanicum absit, easdem causas remotas, eademque remedia utraque agnoscit, et de difficili fluxu longius disserere in animo non est.

Non primi semper menses æquis intervallis, post octavum nempe et vigesimum circiter diem, recurrunt. Verum sæpenumero, non nisi uno alterove, post primam proruptionem, elapso semestrio, fluxus vel incommoda quælibet puellam adoriuntur. Fluxus vero muliebris dein statis periodis, usque ad quintum et quadragesimum aut quinquagesimum circiter ætatis annum, sanitate feminea non mutata, recidivus fieri potest. Ast præter graviditatem et lactatum, millenæ præsto sunt causæ in periodorum legem interturbandam pronæ. Has omnes enumerare nequeo, præcipuas tamen aggrediar.

Ubi menses nunquam proruperunt, ibi uteri ipsius vitia conformationis vel mutatam structuram suspicari licebit. Quædam partium genitalium vitia nos forsan latent : uterum ipsum abesse vel os ejus aut vaginæ interdum claudi potest.

Frequentes amenorrhœæ causæ in uterum ipsum inprimis multum valent : irritabilitas nimirum hujus visceris major, immodica Veneri litatio, libido frenata vel frustrata, manustupratio, et ex alsiosa vel adstringenti aqua lotiones. Uterus autem natura torpidus, et crebræ, ope aquæ tepidioris, lotiones, inertiam eam uteri comitem habent, qua affluxus menstruus omnino desideratur.

Potissimæ vero causæ mediante alio quodam organo uterum afficiunt; frigus quovis modo corpori admotum, et præsertim extremis, seu manibus sive pedibus, adhibitum, menses sæpissime cohibet.

Sed eximius est consensus ventriculum inter et uterum, ita ut alter sine altero mutari vix queat. Qui cibi stomachum stimulo quodam justo majori vel minori afficiunt, ii menses haud raro impediunt. Exempla sunt pro variis mulieribus varia; at pisces, præcipue ex salmonis

genere, lac, fructus acidi et austeri, nec non substantiæ pingues et unguinosæ multis nocent. Quin plurimæ, et hic et alibi terrarum, iis impune vescantur, minime negandum; tantæ scilicet sunt varietates, cum a natura tum a consuetudine derivatæ, ut fere nil omnes æque eodemve modo afficiat. Hoc tamen constat, quicquid a ventriculo difficilius subigitur, vel eum aliudve quodlibet organum stimulo quicquam majori afficit, id feminis, mensibus fluentibus, esse periculosum; nam cujusvis organi irritatio, vel cum utero sæpissime communicatur, vel ne fiat ad eum sanguinis affluxus impedit.

Si reputes quam late imperium pathematum valeat, vix miraberis ea quoque menses multum afficere. Inter omnia terror et ira eminent insignes; similis plerumque effectus a gaudeo, mœrore, invidia, de infausto amore sollicitudine, aliisque hujusmodi provenit, obiterque observare liceat, has omnes animi affectiones lactis secretionem minuere et interdum ad nil redigere.

Cum systemati lymphatico, in corpore femineo nimium prævalenti, obviam non itur, solum ejus incrementum menses cohibere potis est; ubi nempe torpent totius corporis arteriæ, nixus menstruus irritationi vasorum uteri concitandæ haudquaquam est idoneus.

Quicquid sanguini dispendium nimium affert, affluxum menstruum quoque præpedire valet. Hunc effectum sæpius edunt cibus parum nutriens, inedia, puris vel lactis multa et longa egestio, confertæ sanguinis jacturæ, quæ scalpello chirurgico, hirudinum morsulis, vel elabente menstrui tributi termino, sine norma fiunt; quæcunque demum immodicæ liquidorum egestiones, seu sponte enascantur, sive artis ope concitentur.

Venæsectio a quibusdam inter causas amenorrhœæ numeratur excitantes, et quidem me non fugit ex eadem, adstantibus scilicet vel fluentibus mensibus celebrata, hoc mali nonnunquam fuisse natum; verum terrori, quem lanceola feminis quibusdam irritabilioribus incutit, illud, cum Gardien aliisque, adscribere malim. Et cum venæsectio per se sit præstantissimum amenorrhœæ remedium, ni, respectu constitutionis ægræ, nimia fiat sanguinis profusio animive motus, ego equidem accusationi subscribere non ausim.

Seu jam inertia uteri impediat ne fiat ad eum sanguinis affluxus, sive irritatio justo major uterum afficiat, in utroque casu nulla vel parca tantummodo fiet ad faciem ejus internam exhalatio. Ab uno igitur alterove hoc affectionis genere, amenorrhœam proprie dictam pendere opinamur; et remediorum actionem hisce principiis explicare tentabimus.

Ut suppressio mensium morbosa a graviditate rite discernatur, hoc ipsum plurimum negotii medico sæpe facessit; nisi enim, eo sciscitante, quicquid verum sit fateantur mulieres, quæ furtiva Venere prægnari suspicantur, tactus, ad nodum, protracta jam graviditate, omnino expediendum, solus capax, impossibilis evadit. Dein ante quartum aut quintum post conceptionem mensem, sæpe non nisi suspicioni et conjecturæ locus est. Itaque summa interdum et perspicacia et prudentia, cum in detegenda veritate, tum in præbendis remediis, medico opus est. Sed multo facilius amenorrhœa a mensium, ob obstaculum mechanicum, retentione dignoscitur; ii enim in utero cavo congesti, signis anamnesticis, et phænomenis quæ uterum sanguine refertum notant, mox percipiuntur.

Prognosis varia esse debet prout malum magis minusve diuturnum, signa magis minusve acerba, causæque excitantes graviores vel leviores reperientur; causa lenta et tenax, plerumque magis quam subita et transitoria, infausta est. Quæ cum temperamento lymphatico jungitur amenorrhœa, optimorum remediorum vi haud raro resistit. Si culpandus sit erethismus nervosus, ei ars quidem facilius medebitur, at recidivæ eo frequentiores reperientur.

Priusquam de remediis maxime efficacibus verba facere aggrediar, pauca de amenorrhœa sequelis frequentissimis dicenda. Has plene enumerare non conabor, quippe quæ fere innumeræ; nullus enim morbus mulieres invadit, quem non ad menses nullos, parcos, abnormes vel nimios relegant. Mater sagax filiam ignaram eamdem opinionem docet, quæ itaque jamdudum quamlatissime increbuit. Rem esse omnino vanam, nemo sanus affirmabit; sæpissime tamen amenorrhœa non modo non est causa morborum sequentium, sed ipsa, ut et morbi ei tributi, a causa communi proveniunt. Attamen difficile sæpe est dignoscere quando

pro causa, quando pro comite aut effectu morborum, sit habenda. Sagacissimo cuique medico ex hoc labyrintho se extricare non raro labor et dolor est.

Inter morbos ab amenorrhœa oriri creditos, chlorosis eminet, nec non passio hysterica quas nunc leviter perstringam, eos, qui rem plene tractatam videre volunt, ad auctores, qui de hac re ex professo agunt, remittens. Chloroseos hic optimus est character. » *Dyspepsia* vel rei » non esculentæ desiderium, cutis pallor vel decoloratio, venæ minus » plenæ, corporis tumor mollis, asthenia, palpitatio, *menstruorum re-* » *tentio*" (1).

Cum chlorosis tam sæpe amenorrhœam comitatur, cumque ut Culleno placet, sine ea nunquam invenitur, est cur suspicemur eam esse amenorrhœæ prolem; sed alii gravi nomine auctores eam non modo graviditatem et menorrhagiam diuturnam insecutam, verum etiam juniores pueros, rarius autem adultos, iisdem fere quæ memoravi symptomatibus nactam esse asserunt. Alias igitur chlorosi causas adscribunt, quales sunt: actio aeris humidi et frigidioris, vermes in intestinis nidulantes, aeris puri luminisve vividi, exercitationis, et, apud juniores quasdam puellas, coitus defectus, demum victus tenuioris aut parum nutrientis usus.

Inter signa chloroseos præcipua, rei non esculentæ desiderium jure numeratur. Quandocunque uterus afficitur, ventriculi functiones fiunt abnormes. Hinc prægnantibus ista desideria quæ quotidie, non sine admiratione, experimur. Hinc quoque in amenorrhœæ quibusdam exemplis hoc signum. Sed naturæ sagaci partim forsan est tribuendum. In *dyspepsia*, ut Culleno placuit, acidum in stomacho semper inest, cui corrigendo nil magis ac calcaria aptum. Hinc creta, cineres, aliaque id genus expetuntur. Cum autem pannus, resque ejusmodi appetantur, et cum similibus ingestis malum increscat, hæc explicatio theoriæ chemico-physiologicæ antiquæ rejicienda.

Quamvis totam symptomatum congeriem, cui nomen *dyspepsiæ* indidit Cullen, ab inflammatione ventriculi pendere, recte affirmari possit;

---

(1) Cullen, *Synop. nosol. meth.* genus XLVII.

tamen digestionis torpor, constipatio, et circa regionem epigastricam gravedinis sensus, quibus solis hanc denominationem, in chlorosi, idem auctor adscripsit, ex asthenia ventriculi hic nasci videntur. Hinc tristitia et animi dejectio iis accedunt. Corpus pallidum flavumve debilius indies evadit, venæ flaccidæ et inanes videntur, motus omnigenus fatigationem parit, cor leviter palpitat, œdema advenit, loca sola ac tenebrosa quæruntur, ubi, nemine teste, virgini infelici languescere lucemque invisam odisse liceat.

Hæc adeo horrenda, secundum quosdam medicos a causis jam memoratis vix oriuntur; alias igitur fingunt: chloroticæ, uti fertur, admodum sunt salaces. Si quis amatur, ille semper oculis obversatur, si nemo amori est, lascivæ cogitationes solæ delectant. A risu jocisque, puellis plerumque adeo gratis, mens gradatim revocata, officia omnia cum vitæ tum amicitiæ brevi fastidit, et lascivia magis magisque crescente, melancholia, dein mania, interdum adveniunt.

Qui ita loquuntur tamen, ii chlorosim a nymphomania vix dignoscunt. Hic quidem omnia signa, cum libidinis effrenatæ, tum melancholiæ et maniæ offendimus, quæ tamen chlorosi raro adsunt.

Quicquid sit de causis chloroseos excitantibus, phænomena ei propria systema sanguineum languidum et ventriculum asthenia affectum nos edocent; quæ autem hujus visceris signa irritationis, morbo progrediente, hisce phænomenis accedunt, ea minime inter symptomata chloroseos sunt computanda. Verum si reputes vim vitalem, a cæteris corporis partibus, versus solum uterum, in morbo nostro, plerumque abripi, vix dubitabitur quin uterus mala jam depicta sit aucturus.

Hysteria, amenorrhœæ haud raro comes, sine ea tamen non semel oboritur. Eam ab uteri statu pendere adeo fuit creditum, ut nomen inde derivatum sit. Signum unumquodque uterum ac intestina affici, abunde testatur. Ventris sunt murmura et sensus globi in abdomine se volventis, ad ventriculum et fauces cum algore fervidove calore ita ascendentes, ut ægram præfocatione discrutiet. De morbo, æque ac mulier ipsa est, vario et mutabili, si fuse disserere velimus longius latiusque abduceremur.

Cum menses fluunt vel fluere debent, mulier magis ac alias irritabilis evadit; quicquid autem irritabilitatem auget, ad hysteriam proclivitatem

quoque adauget. In regionibus septentrionalibus quibusdam mulieres, parum scilicet irritabiles, morbum ignorant; ast nostrates, mensibus adstantibus vel turbatis, hysteria haud raro torquentur.

Consilia medendi, in variis amenorrhœæ casibus, præcipua sunt:

1°. Nimiam uteri irritationem tollere.

2°. Ex eo languorem pellere.

3°. Actionem systematis circulatorii vel vim nutritivam augere.

4°. Irritationem cujusvis corporis partis diminuere vel superare.

Quæ primo consilio respondent antiphlogistica sunt, et admodum numerosa. Primum locum venæsectioni assignandum. Interdum enim tanta ſit plethora, ut hæmorrhagias vice mensium, singulis lunis, e nare, pulmone, vel gingivis, cieat, cui, vena secanda, optime obviam itur. Alias quoque ubi nullæ sint hæmorrhagiæ, sed ubi plethoræ vel erethismi generalis signa simul cum iis congestionis uteri extant, idem convenit, et post sanguinem large e brachio detractum, stimulo uteri diminuto vel sublato, menses prodeunt. Quod si vero plethora localis duntaxat est ad uterum venæsectio pedis, quippe quæ absente plenitudine universali, minus derivativa existimatur, præferenda. Attamen ea feminis nervosis quarum irritabilitatem aliquantisper auget, minime est suadenda. Et ne sanguinis quidem parca e brachio missio, ni simul plethoræ vel convulsionis generalis ratio sit habenda, auxilii quicquam iis afferre valet. Sed balneum tepidum efficax hic sæpe inventum. Nonnunquam lumbi soli, sæpius meliusque totum corpus immergitur. Quantum hoc valeat in morbis feminarum nervosis abunde innotescit. Præterea victus sit non ita tenuis, at minimum stimulum præbens et usus narcoticorum adsciscatur internus. Injiciatur quoque ex aqua, in qua dissolvatur assa-fœtida, clysmus. Aqua insuper, qua decocta fuerint hyoscyamus niger, atropa belladonna, aut solanum nigrum, foveat hypogasticam regionem partesque genitales.

Ubi vero nullus est habitus nervosus et solus erethismus uteri est inculpandus, præmissa quandoque venæsectione, ad ea quoque quæ partibus utero vicinis applicantur decurrere oportebit; fomenta nempe emollientia, lotiones et semibalnea ejusdem generis, pediluviis calidis

sunt anteponenda. Sanguinis missiones topicæ hirudinibus præsertim institutæ, utiles hic quoque fore probabile ducimus; quin imo venæsectioni antehabendas censemus, ubi nullus timor subsit ne organum quoddam nobile phlegmasia corripiatur. Congruens insuper concilietur ægræ quies, sint potus mucilaginosi, cibusque adsciscatur levis et parcus.

Cum tertio consilio connectuntur pediluvia, quibus sinapi, acidum hydrochloricum, cineres, aliave istiusmodi adduntur. Prosunt etiam cucurbitulæ ad hypogastricam regionem admotæ, et perpaucarum numero hirudinum ad vulvam sæpius appositarum vulnuscula, quæ sanguinem ad uterum revulsione cient.

Scintillæ electricæ, circa uteri regionem eductæ, præstantissimos nonnunquam edunt effectus. Ægra ad machinam sedente, salutifer fluxus sæpe prorumpit, alias post aliquot horas vel dies; sed haud raro auxilium omnino inutile vel noxium repertum. Electricitas utique est virium vitalium motrix potentissima, quæ novis disquisitionibus medicorum animalium et corporum externorum reciprocam actionem momento suo ponderare satagentium, subjici omnino meretur; si interim ad menses educendos, electricitas vel galvanismus adhibetur, id summa advigilante cautela fieri oportet. Una cum his, exercitatio valida, saltatio nempe et equitatus, quæ sanguinem majori impetu deorsum alliciunt, pro viribus ægræ præcipiantur; nec frictio regionis uterinæ omittenda.

Injectiones stimulantes, uterum ipsum intrantes, non suadentur; sed cataclysmus in uteri regionem vel in ipsam vaginam directus fieri liceat.

Interdum nullus stimulus efficacior suaderi potest quam Venus, legitima scilicet; furtivam enim Venerem vetat religio, vetant boni mores.

Remedia tonica, inter quæ ferrum et ejus præparata quædam eminent, multi quidem maximis extulerunt laudibus, at in iis tentandis solertia et moderatione opus est, et satius in plerisque casibus est iis omnino abstinere.

Rutam, juniperum sabinam, aliaque id genus, quibus virtus specifica emmenagoga tribuitur, uterum præ aliis organis stimulare diu creditum, et etiamnum creditur. Plurimis in regionibus vulgus ab iis abortum expectat, nec semper frustra; iis amenorrhœam sæpe cessisse fertur.

Interdum vero studio decipiendi, sæpius autem fallaci experientia, vanisque observationibus factum est, ut summis laudibus decantata fuerint remedia, quæ vel noxia vel certe inefficacia, oculatiores invenerint judices. Num medicamenta de quibus jam loquimur laudes illas promereant quas illis tribuerunt medici quidam celeberrimi? Omnino dubitamus. Accidit quidem interdum ut sub eorum usu muliebris prorumpat fluxus, at malum brevi rediens pertinacius sæpe utero inhæret. Præterea hæc medicamina potissimam menorrhagiæ sæpe lethalis, metridisve aut primarum viarum læsionum causam utentibus inferunt.

Tertio consilio favent regimen stimulans et roborantia omnigena, quæ quibusdam feminis, lymphatica admodum corporis constitutione præditis, sanguine nullo vel seroso ac incoloro e vagina fluente, præcipiantur. Cibus nimirum nutriens, parca vini generosioris pocula, coffeæ et amarorum infusiones, peruvianus cortex, et præcipue ferri præparata, qualia sunt, vinum chalybeatum, aquæ martiales, carbonas et oxida ferri, convenient. Ast quæ virium versus uterum directioni obest chronica ventriculi phlegmasia, horum remediorum abusu ne concitetur adnitendum censeo. Una cum his aquæ calidæ vapores versus uterum, ope infundibili, missæ, clysmata stimulantia, scintillæ electricæ et semibalnea aromatica adhibeantur.

Quæ autem feminæ, post sanguinis aliusve liquidi egestionem liberiorem, languescunt, iis, ut vis assimilatrix exaltetur, juvant regimen nutriens, analepticum, appricatio in locis excelsis, salubribus, ubi aer siccus et purus ea principia cum sanguine communicat quibus potissimæ corporis functiones rite peragi possint. Procul sunto mœror, tristitia, aliave mentem deprimentia pathemata. Ægram recreent ruris hortorumque amœnitas, festiva amicitiæ colloquia, blandi musices concentus, modica quævis et grata corporis exercitatio; quicquid demum mentem exhilarare queat accersatur.

Quo quarto consilio fiat satis, et cura methodica institui possit, accurate conquiratur oportet, fueritne uterus prius affectus, an alia quælibet corporis pars una cum utero laborans. Mirus enim est inter has partes consensus, ita ut vix altera in alteram vires suas morbosas exerere nequeat. Sed quam hoc sæpe sit difficile inquirere jamjam notavi.

Quodsi analytica disquisitione; ægræ temperamento et idiosyncrasi, naturæ causarum, nec non ordini evolutionis symptomatum inprimis innixa, origo mali omnino detegi nequeat; tunc remedia aptissima quæque organo magis læso, cujusque integritas ad conservationem vitæ magis refert, adhibere oportet, dum uno eodemque tempore ratio alterius omnino sit habenda; verbo principia morbis ejusdem naturæ simul existentibus communia hic applicanda sunt; principia vero sanæ et severæ physiologiæ notionibus innixa animus intendit; nam procul ab eo idea illa v. c. qua mihi fingerem remedia stimulantia viis digestivis, absque dolore abdominis, diarrhœa vel ad vomendum propensione, inflammatis et letiferas sympathias concitantibus, esse committenda, ut vel gravissimæ capitis congestiones leventur. Hæc de amenorrhœa ex nimia irritatione uteri coorta dicta sunto. In ea vero ex ejusdem visceris torpore, rarissime primitivo, nata, quælibet inflammatio cæterarum corporis partium, prius sedulo est amovenda vel minuenda, antequam animum ad uteri statum advertere liceat.

Si excipias remedia plethoræ sanguineæ vel lymphaticæ, erethismi, neuroseos et anemiæ propria, quæcunque aptissima judicamus, ea semper tempore menstruo adhibeantur; neque unquam committendum, ut alio tempore vulvæ apponendo hirudines, mensium interturbentur regularitatis leges.

Aliquando, antequam menses fluunt vel inter fluendum, misera puella dolore gravi abdominis ac lumborum cruciatur, dum sanguis plerumque nimis parce profluit, cui malo dysmenorrhœæ est nomen. Acerbi tamen illi dolores pro signo irritationis uteri, et sanguinis minor copia pro primo amenorrhœæ gradu forsan haberi possent. Cæterum, cum medicus hic raro consulatur, cumque eadem remedia ac in mensium suppressione conveniant, de dysmenorrhœa nil amplius addam.

Hactenus de vitiis mensium impeditorum, de vitio prorsus contrario nunc dicendum. Est ubi sanguis vel sæpius vel diutius æquo fluit, ita ut ægra mire debilis cito evadat. Cavendum tamen, ne singulis exemplis mensium abnormium nomen menorrhagiæ indamus; nonnunquam enim bis intra mensem redeunt, duplusque sanguis profunditur, sanitate feminea non mutata. Hisce in casibus dubii interdum hæremus;

sed plerumque signa præcedentia, comitantia et sequentia dubium nullum relinquunt. Ubi dolor capitis, vertigo vel dyspnœa præcesserint, ubi cum horripilationibus æstus fugax et pulsus exigui et contracti frequentia adsint, ubi dolor acerbior lumbos, dorsum ac femora torqueat, ibi morbum vel adesse vel instare suspicari fas est (1).

Quantum sanguinis fluere debeat, statutu est difficile, varii nempe climatis, vitæ normæ, ætatis, animi affectionum, variæque singularum feminarum constitutionis ratio habenda est; at omnis quantitas inter unciam sextam et decimam sat salubris, sub nostro climate, plurimis videtur. Diuturnitas fluxus quoque incerta; hic enim nunc tres nunc sex quinimo octo dies, valetudine integra manente, durat. Nec copia igitur nec mensium diuturnitas, sunt pro signis menorrhagiæ semper habenda; cum autem vultus pallet, pulsus fit debilis, exercitatio omnigena, imo levissima defatigationem affert, cum corpus aliquantisper erectum ægre tenetur, cum frigus extremitates et œdema pedes invadit, tunc menses, diutius vel plenius solito fluentes, esse morbidos colligere licet (2).

Præter signa jam memorata alia sæpe socia sunt; anorexia nempe, cui alia affecti ventriculi indicia accedunt; cor palpitat, crebra est syncope, animusque adeo evadit debilis atque irritabilis, ut causæ levissimæ eum magnopere excitent.

Causæ excitantes quæ uterum partesve vicinas directe nimus stimulant, plurimæ sunt. Inter eas vis regioni uterinæ illata, Venus, præcipue dum menses fluunt, frequens abortus, partus difficilis, arctiarum circa lumbos vestium pressio eminent; hisce alvus adstricta, quippe quæ molestiores conatus molitur, hysteroptosis et uteri læsiones annumerantur.

Eodem quoque pertinent ea quæ actione generali modove secundario in uterum vires exerunt; molimina nimirum violentiora, concussiones validæ, saltatus, nimia corporis exercitatione defatigatio, vehementius quodvis animi pathema, vigiliæ, et calor nimius quolibet modo corpori allatus. Cibus lautus vel nimium stimulans, vita desidiosa, consuetæ eva-

---

(1) Cullen, *First Lines*, vol. 3, pag. 13.

(2) Ibid., p. 14.

cuationes suppressæ, medicamenta in uterum peculiariter agentia, et potus stimulantis, coffei, v. g., vel alcoolici usus inconsultus aut abundantior eundem effectum sortiuntur.

In menorrhagia præcavenda vel tollenda causæ remotiores sedulo semper vitentur, citove amoveantur. Ægra, dum menses fluunt, omnino corpore et animo quiescat, vel ita composita recumbat ut sublimis paululum sit pelvis, et alterum femur ab altero dimoveatur. Cubiculum frigidiusculum calido, cibus levis et parcus vel, si videbitur, nullus pleno, cubile durum molli antehabebitur; alvus dura emollienti tepidoque simul clysmate subinde concitetur.

Si una cum dolore dorsi ac lumborum signa plethoræ generalis adsunt, sanguinem e brachio mittere interdum fas est.

Ubi hæc menorrhagiæ vel præcavendæ vel amovendæ parum sufficiunt, ad alia decuratur. Inter ea cucurbitulæ vel hirudines infra potius quam supra mammas appositæ, universæ cutis perfricatio, et vesicantia aut sinapismi supra diaphragma admoti ex votis fere semper succedunt, et vix unquam alio remedio opus est. Quod si tamen nimia obvenit debilitas, frigore hypogastrica inprimis regio inalgescat, aqua gelida acidulaque ano vel vaginæ injiciatur, vel ut obturamento ægræ saluti consulatur elaborandum est. Nec irritationis augmentum seu inflammatio hisce extremis forsan efficienda pertimescatur; nam ut præstat prius omnia tentare quam ad extrema devenire, sic quoque auxilium quodvis etiam cum periculo exhibere satius est quam ægrotantem in certo mortis discrimine versantem eodem destituere.

Menorrhagia, quæ corporis vires admodum effregit, dilabente, auxilia non sunt illico omittenda; opera est strenue danda ut, cautione adhibita, ægra iis, quæ in anemia juvare supra diximus, paulatim roboretur. Stimulantia non solum diffusibilia sed omnigena plerumque nocent. Attamen parvæ tonici fixi doses, aut parca meri pocula, functione digestiva ea postulante, ventriculo concedantur.

Quicunque hæc perlegerit me famam prolixi scriptoris parum ambire facile credet. Affatim est auctorum unde hoc opusculum in molem abire

potuisset; sed hoc ineptum judicans, omnes opiniones futiles, omnia argumenta supervacanea aut non prorsus necessaria, omne inane ornamentum, quantum licuit, oblivione damnavi. Multa ad theoriam morborum quos memoravi, et plura quæ ad eorum medelam spectant, etiamnum obscura latent. Est tamen ut intra sanæ physiologiæ fines nos contineamus; etenim eos transiliendo in empirismum vel vagas et inanes hypotheses incidimus, quæ medicinæ progressibus non nisi moras attulerunt. Illud assequi volui ut, plurimis opinionibus mature perpensis, verisimiliores proponerem; quas excultior rerum usus docuit, eæ amplectendæ; nullæ autem sunt temere admittendæ; namque, dum alii philosophi theorias plerumque innocuas excogitant, quicquid delirant medici plectuntur ægri. Primo quidem id animo infixum habui et plurima remedia notarem; verum principum auctorum judiciis exploratis, pleraque adeo incerta inveni ut illud consilium tenere noluerim. Juvenem medicinæ parum peritum remedia ambigua nec nimium credulum laudare, nec arrogantem vituperare decet. Si igitur silens consulto quædam præterivi, ignaviæ me incusare nefas foret.

TANTUM.

POSITIONES MEDICÆ.

I.

In hac rerum medicarum fortuna, nescimus ut plurimum num otiosos ægri observatores, an vero medicos activos, nos agere oporteat, cum corpori viribus admodum exhausto accedit violens inflammatio. Nec minor persæpe extat difficultas, cum phlegmasia chronica diuturna vera causa est cur vires musculares nimie languescunt; caligat ad hanc rem therapeutice, probatque eatenus exiguos artis medicæ progressus.

II.

Camphora stimulat potentissimum, nunquam nisi indirecte sedat.

III.

Si qui casus rariores sunt in quibus vomitum spontaneum empirice cohibere cogimur, antiemeticum Riverii aquis puris acido carbonico onustis postponi debere censeo.

IV.

Vesicantia in phlegmasiis quibusdam, tametsi post sanguinis missiones necessarias, status acutus et motus manserit febrilis, egregii sunt usus.

V.

Valet Linnæi canon: qui potest mederi simplicibus dolose aut frustra quærit composita.

VI.

Amputatio circularis in continuitate membrorum methodo dicta: *à lambeaux* semper anteponenda est.

VII.

Calculum in vesica novo Civialis experimento comminuere non inane tentamen videtur.

Nihil quod Legibus Academicis contrarium sit inveni.
J. C. VAN ROTTERDAM, Dec.